

PROLOGUS.

*affectibus & præconceptis opinionibus vacuum. Nec abludit Remonstrantium Confessio , quando ait cap. i. sect. 14. Non doctos tantum Lectores , sed & idiotas mentem eorum , quæ ad æternam salutem necessaria sunt , assequi posse , modò præjudiciō , vana confidentiā , aliisque pravis affectibus sese occæcari non finant. Gravissimè autem omnium Zwinglius in libellō de Certitudine & Claritate Verbi Dei (qui reperitur in ejus Operum Tom. i.) cap. 3. hunc in modum. Fateberis te sæpenumerò Scripturas in hunc finem perlegisse , ut verba quædam , quæ sententiæ jam antea conceptæ suffragarentur , excerptes , quibus opinionem tuam , quam mordicūs retinere cupis , confirmares. Hoc , hoc omnium humanarum Traditionum ulcus est , quod acutetigisse dolet. Quid enim hoc aliud est , quæm sensum proprium Scripturæ testimoniō probare velle , alienum sensum Scripturis ingerere , & errori suo Scripturarum prætextum & patrocinium querere ; ut nimirum Scripturæ locos , repugnantes licet , & invitatos , in tuam sententiam pertrahas , & eos id , quod jam ante tibi persuasum est , loqui cagas ? præjudicia enim nostra jamlata sunt , quæ in manu gestamus , perinde ac si quis à vicinō suō armatā manu panem petat , quem nisi det , vim sibi inferri sentiet. Quibus exemplum addit , ac postea concludit. Unde nunc colligi potest , quæm parum conveniat violentō animi nostri præjudicio Scripturas accedere. Atque huc etiam videtur pertinere illud tantopere Theologis decantatum Hilarii monitum , *Sensum Scripturis non esse inferendum ; sed è Scripturis petendum.* Tantorum itaque virorum auctoritate , atque ipsius rei veritate permotus ac suffultus , manum operi admovere volui , ac Cartesii vestigiis insistens experiri , num Theologum agendō , atque in Theologiâ , quicquid tanquam dubium ac incertum , removeri potest , removendō , tandem perveniri posset ad aliquid in eâ primum , quod removeri nequeat , quin tota simul corruat atque removeatur , quodque reliquorum omnium dogmatum Theologicorum principium esset atque fundamentum. Huic autem negotio dum incumbo , non diu multumque scrutatus*